



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1857

CLX. Der Rath der Altstadt Salzwedel verkauft an denBürger Heinekin Moltz den Judenhof mit Ausnahme der Judenschule, am 1. Dezember 1357.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

CLX. Der Rath der Altstadt Salzwedel verkauft an den Bürger Heinric Molth den Judenhof mit Ausnahme der Judenschule, am 1. Dezember 1357.

Nos Gerhardus Ghent, Johannes Witko, Johannes Harteuig, Thyde Turiz, Heyne Mechau, Heyne Molner, Magister Thydericus Godescalci, Heyne Wyting, Coppe Brunou, Ghyse Thuriz, Make Hurlejan et Heyne Vrydagh, consules veteris ciuitatis Soltwedel, presentibus recognoscimus lucide protestantes, quod vendidimus rite et racionabiliter ac vendimus per presentes Hennekyno Moliz, nostro conciu, curiam iudeorum, quemadmodum ipsam habuimus et possedimus vsque in diem hodiernum, excepta scola Judeorum cum attinentiis suis. In cuius testimonium sigillum nostre ciuitatis presentibus est appensum. Datum anno domini M^o. CCC^o. LVII^o. feria sexta post festum beati Andree apostoli gloriosi.

Gercken's Dipl. I, 333.

CLXI. Bischof Nicolaus von Verden bestätigt dem heil. Geistkloster zu Salzwedel die Schenkung der Herzogin Agnes, betreffend das Patronat der Katharinenkirche und des Matthäi-Altars, am 18. November 1323.

In nomine sancte et individue trinitatis Amen. Universis Christi fidelibus, tam presentis quam futuri temporis hominibus Nicolaus, Dei gracia Verdenfis ecclesie episcopus, perpetuam in vero salutari salutem. Quecunque ad commodum et incrementa ecclesiarum, quibus auctore Deo paterne sollicitudinis patrocinium impendere tenemur, nostris aguntur temporibus, scripture vivacitati necessarium duximus commendare, quia res racionabiliter factas et legitime calumpniosa nonnunquam solet oblivio implicare. Igitur caritati omnium fidelium tam presentium quam futurorum volumus esse notum, quod magnifica princeps, Domina Agneta, Ducissa Brunsvicenis, fervore dilectionis divine, quam ad monasterium sancti spiritus canonicorum regularium extra muros Soltwedele habere dinoscitur, accedente omnium quorum intererat collaudatione, de nostro beneplacito et consensu, jus patronatus ecclesie sancte Katherine et altaris beati Matthei in eadem siti nove civitatis Soltwedele cum omnibus pertinentiis et juribus universis ad sustentationem eorundem canonicorum pro remedio sue anime, sui conthoralis, quondam incliti principis, Domini Wolde mari pie memorie, marchionis de Brandenburg, et suorum progenitorum donavit manu benefica, in perpetuum irrevocabiliter possidendum. Cujus donationem tanquam piam et rationabilem a nobis approbatam auctoritate, qua fungimur, presentis scripti testimonio confirmamus et decernendo instituimus, quod cedente vel decedente domino Conrado honorabili viro, nunc dicte ecclesie et altaris memorati Rectore eandem ecclesiam cum altari prefato ad memoratum monasterium cum omnibus juribus, pertinentiis et servitutibus suis quoad spiritualia et temporalia, quoad institutionem et destitutionem, debeant salvis juribus prepositi de Soltwedele pleno jure perpetuo pertinere, liceatque eis, preposito videlicet et canonicis sepe fatis, per suos fratres eandem ecclesiam et altare supra dictum officiare, gubernare seu regere, prout sibi visum fuerit expedire. Nulli ergo omnino